

1527 ratoris, ac Petri Pefarei legati jussu, Genuam versus cum mille ac ducentis peditibus profectus est. Nam civitatem summa tunc omnium rerum, quæ ad victum necessaria erant, egestate laborantem celerius ad deditionem cogi posse ferebatur, si qua iter conficiendum erat, pecora, atque armenta abigerentur; oppida, & agri situs asperitate, infrugiferoque solo deformes vastarentur, ac nullum ad inopiam urbis sublevandam edulii comportari genus permetteretur. Harum rerum nuntiis Genuam perlatis, trepida civitas, attonitæ omnium mentes, terra, marique urbe ab hostibus petita, summaque omnium, quæ ad victum pertinent, inopia pressa. Inde cum omnem (si qua superesset) tuendæ salutis spem in navibus in Delphini portu interceptis sitam esse conspicerent, armatas sex triremes educunt, nihil non tentandum rati, ut ex angustis portus navibus ereptis, laboranti civitati opitularentur. Verum cum terrestres copię urbi appropinquarent, terrore omnium defixæ mentes; cum haud satis virium ad hostes repellendos urbi inesset; cum milites, qui robore, ac virtute præstabant, cum classe ad Delphini portum se contulissent, & ob diversa civium studia, ne repente tumultus exorirentur, verendum esset; Adurni, penes quos summa auctoritas, princeps urbis dignitas erat, Augustino Spinolæ mandaverant, ut statim cum copiis, quibus præerat, ad urbem tuendam contenderet: quapropter classis cura omissa, nullo obsistente, septem triremes, atque hostium sex naves in Aurie potestatem concessere.

*Naves &
triremes
Genuenses
in Aurie
potestatem
reductæ.*

*Genuensium
pugna cum
Fulgoso, &
eorum pro-
figatio.*

Interea cum Adurni, popularibus ad arma vocatis, Augustini Spinolæ, qui nuper advenerat, aucti militibus, Fulgosium cum parva militum manu adventantem, si ex improvviso adorirentur, nullo negotio dissipare posse arbitrarentur; urbe exire, pugna hostem laceßere statuunt: qui cum loco commodiore, atque situs natura opportuno castra haberet, acriter pugnando non modo impetum Genuensium sustinuit, sed fortius institit, ut primum turbatis ordinibus, mox in fugam coniectos insequi cœperit. Cæsi multi, alii in captivitatem venire, inter quos Spinola copiarum Præfectus, & Gabriel Martinengus, dum frustra suos revocare, ac sistere niteretur, comprehensi sunt. Fulgosius adspirantis victoriæ cursum prosequutus